De corpore delicti medice indagando ... / [Johann Ehrenfried Randhan].

Contributors

Randhan, Johann Ehrenfried, 1745-
Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Litteris Sommeriis, [1783]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/sqazydpm

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DE

CORPORE DELICTI MEDICE INDAGANDO

INDVLTV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. ERNESTO GOTTLOB BOSE

PATHOLOG. PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. MED.

SENIOR. ACADEM. DECEMV. COLLEG. MAI. PRINC.

H. T. PRAEPOS. APVD. LIPSICOS

POLIATRO

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTAT

IOANNES EHRENFRIED RANDHAN

ROETHA-MISN.

MEDICINAE BACCALAVREVS.

A. D. XXXI. IANVAR. A. MDCCLXXXIII.

LIPSIAE

LITTERIS SOMMERIIS.

Hr: D. Winckle

42600

WELLCOME
LIBRARY

§. I.

Non parum intereſt reipublicae, inſontes liberari, delicta vero perpetrantes ſuae culpae poenas luere, vt magna opus ſit ſollicitudine in diſquirendis conditionibus omnibus, quibus innocentia vel culpa confirmetur. Quanta ex neglectu noxa oriatur, infenſa genti aut vniuerſo populo, ii diiudicabunt optime, quibus leges diuinas humanasque cuſtodiendi demandata eſt prouincia. Inde ab antiquis iam temporibus eo dirigebatur omnis cura, vt in violentis, corpori humano inflictis, laeſionibus certa atque indubitata ſigna patefierent, ex quibus effectus ad vitam hominis labefactandam vel ſupprimendam declarentur. Nobile hinc aeſtimandum eſt tum magiſtratus, quibus curae cordique eſt ſubditorum ſalus, aſſiduum ſtudium, tum eorum, quibus concreditur accurata magis vberiorque perueſtigatio. Sunt autem medici, quibus hoc demandatur officium, praecipui, quod ob eam, qua pollent, ſtructurae corporis cognitio-

nem mutationes neceſſarias ſeu ſequelas illatae violentiae, recte aeſtimare valent. Noſtris itaque temporibus in foro non ſolum ille, quibus phyſicorum plerumque titulus datur, ea, quae huc pertinent, ſedulo rimari momenta iubentur, ſed etiam de comprobanda veritate collegia medicorum et facultates medicorum conſuluntur, ne, quod imputatur reo, illi euadat periculoſum, nec ambigua pro veris habeantur. Ex quo dignitas huius doctrinae non parum eluceſcit, quae certe tanta eſt, vt in decernenda ex legibus poena iuris periti prius de corpore delicti certiores reddi deſiderent, de indole poenae quam iudicium ferant. Quum tamen in re tam ardua non pauca ſe obtulerint exempla, quod oſcitanter quandoque verſentur ii, a quibus poſtulatur certa atque fundamentis doctrinae ſolidioris conueniens demonſtratio, non plane a ſcopo ſcribendi, quem nobis neceſſitas iniungit, alienum cenſuimus, ſi de corporis delicti natura et ratione illud medice inueſtigandi quaedam proponeremus. Diverſitates autem et ſigna, quibus veritas conſtat, noſſe, impedientes certitudinem cauſſas expiſcari et veritatem inde declarare atque docere annitemur. Etſi noua illa non ſunt, arbitramur tamen aequos iudices in malam non interpretaturos eſſe partem, quae aliorum inſeruiendi ſtudio amor nobis dictitat.

§. II

Quoniam vero omnis cauſſa tunc demum vt vere agens conſideratur, ſi effectus quidam conſequitur, immo, quod idem non raro ad cauſſam, inprimis, ſi eadem vel abſit vel obſcura maneat, vt concludendo redeamus

deamus nos monet, fieri non potuit, quin corporis delicti qvoque significatio varie fuerit adsumta. Hinc, si in foro disquiritur, vnde noxa aliqua vel laesio quaecunque, in corpore inuenienda, prouenerit, arbitrantur quidam, illi, qui v. c. vulnus fecit, corporis delicti nomen competere, quem potius delinquentem vocare conuenit, a quo malum aliquod prouenit, quique auctor criminis est. Etsi enim illius vim adhibitam, praecipuam caussam constituere laesionis certum est, tamen non de caussa tantum, sed potius de effectu, quae vitam turbaverit, et num ex illa absolute sequatur nociua mutatio, quaeritur, quum etiam non raro, saltim ab initio, lateat perpetrati facinoris auctor. Aliis instrumentum ipsum, quo laesio peracta est, hoc nomine venit, ita quidem, vt olim quoque vulneribus applicaretur, culter vel ensis, eum in finem, vt hoc nec alio vulnus factum fuisse appareat. Quem quidem morem nostris temporibus, etsi, vt decet, non approbare solent, quod instrumentum, vulneri intrusum, profunditatem quidem, partium vero laesarum indicium non reddat, non plane tamen ad certitudinem facti eius praesentiam deesse posse opinamur. Concedimus interim, nihil inde definiri, quum ex contemplatione et natura instrumenti laedentis vis nocendi quidem intelligatur, modus autem, quo nocuerit, minime perspiciatur. Sic fustis adhibiti, crassi vel tenuis, a robusto vel debili applicati, in vi nocendi differentia est. Eritne forsitan effectui, siue plagae plus tribuendum, ad corporis delicti confirmationem, ea propter, quod illa partem aliquam corporis adfecerit, cuius vitae atque integritati insidiosa, sequelas induxerit funestas? Verum nec hae quidem sequelae, vtut a caus-

ſa praecedente dependent, mere et ſimpliciter pro corpore delicti adſumendae ſunt, dum omnem paginam partim non abſoluunt, partim indubitatam ſecum certitudinem non habent. Sequuntur enim vulnus, vt exemplo vtar, inflammatio, ſaepe magna, in gangraenam abiens ſphacelumque, haemorrhagia funeſta, aliaque, quae, niſi accurate ponderentur, aliquando proficiſcuntur a noua quadam accedente cauſſa, vt imputari nequeant ſimpliciter vulnerationi. Ex quibus itaque omnibus, ad amuſſim penſitatis, conſequitur, ſingulas iſtas conditiones ad corporis delicti naturam pertinere, eamque cerni in certitudine facti omniumque effectuum, qui ex facto illo originem ſuam repetunt. Sunt quidem aliquae huius certitudinis partes, quae a medico vix dignoſcuntur et ad iudicis diſquiſitionem pertinent, vt rei aut delinquentis inueſtigatio eiuſque propria delicti confeſſio, ſignorum, eundem commiſiſſe facinus, etiam ex teſtibus collectio et ſimilia, maxima tamen a medico certitudo eſt, ſi is docuerit, euentum ex facto antegreſſo nec aliunde prouenisſe, qua ſua demonſtratione irritas fecerit aſtute effictas et corraſas defendentium ſuppoſitiones. Parum itaque aut nihil curamus inquiſiti conſiderationem, quoad morum vitaeque integritatem, qui alias ſceleribus purus, graui perturbatus animi adfectu noxas induxerit alii funeſtas. Ira, furor breuis, non excuſat, conſtans vero et permanens furor, qui tamen certitudini facti ſiue corpori delicti nil detrahit.

§. III.

Exinde vero, quod momenta nonnunquam occurrunt, quae huic poſſent limites ponere certitudini, aliquae

quae corporis delicti diuerſitates animaduertuntur, vt vel euidens vel obſcurum, perfectum vel imperfectum, certum et incertum eſſe dicatur. Eſt enim in omnium conditionum, quae per diſquiſitionem ſtudioſam cauſſae agentis euentusque abſoluti patent, ea vis, vt de veritate dubitatio nulla queat amplius ſupereſſe, in primis, ſi vtrumque, tum cauſſa tum effectus ad ſe inuicem referuntur, vt hunc non niſi ex illa ſuum traxiſſe ortum clariſſime appareat, vnde euidentia, certitudo atque perfectio naſcitur. Quippe quae iudicem etiam egregie inſtruat, quo legibus accommodatam decernere poſſit poenam, reo imponendam, nec non, quo proceſſus, quem vocant, criminalis breuiter finiatur. Si e contrario vnum alterumque momentum ad facti explorationem deficiat, quod a variis pendet intercedentibus incongruisque conditionibus, ſi v. c. ſigna facti cuiusdam iam euanuerint, vt in puerperis, vel negligentius adnotata fuerint, tunc obſcuritas, imperfectio et incertitudo remanet. Sicuti vero in priore ſeu euidente corpore delicti nihil eſt, quod deſideretur vel diſceptationibus anſam ſuppeditet: ſic in hoc, quod obſcuritatem et incertitudinem ſecum habet, partim medicorum iudiciis, partim ſententiam ferentibus iudicibus obicem ponit, fraudulentis quandoque excuſationibus fores pandit et grauiter delinquentes ſi non plane liberat, debitam eorum poenam tamen periculoſe mitigat. Optimum quidem eſſe nos etiam cenſemus, in rerum minus certarum diiudicatione nocentes lubentius liberandos eſſe, quam innocentem quendam ſupprimendum: at qua ratione is ſuam ſaluare velit conſcientiam, qui ſua culpa corporis delicti naturam imperfectam reliquerit, me ignorare fateor. Inde

de vero minime volumus adſeuerare, in eorum ſemper poteſtate eſſe, quibus corporis delicti demandatur diſquiſitio, vt ſingula omnem habeant euidentiam momenta, quod eius modi aliquando ſe offerunt mutationes, quae impoſſibilem faciunt ſufficientem atque maxime neceſſariam explorationem, cuius vero rationem reddere non obliuiſcetur is, cui hoc tribuitur officium. Idque valet, ſiue in viuo, ſiue in demortuo homine effectus facti violenti diſquirendi ſunt. In viuo quidem corpore diſcrimen ſcrutinii inde prouenit, quod externa tantum indicia manifeſta ſunt, quae violentiam denotant, interna vero latent, nec niſi per ſymptomata dignoſcuntur. Sunt itaque, qui ab his corporis delicti certitudinem infufficienter deduci arbitrantur, quod variis etiam in caſibus valere poteſt, in primis, ſi viuenti adhuc laeſo infenſa ſunt aliqua, quae a laeſione primaria non dependent: quodſi poſt acceptam vero plagam, quae mortifera protinus non fit, grauia oriuntur ſymptomata, interiorem nunc adhuc obſcuram laeſionem declarantia, tunc de euidenti facti euentu ambiguitas non ſupereſt. Sic capite percuſſus, ſine externo vulnere vel adflictione conſpicua, tremens, ſomnolentus, torpidus, vomens, ſenſumque omnem ſenſim amittens, in ſummo verſatur periculo, ſi aptis porro remediis medicis atque chirurgicis ſubleuatur nihil, et moritur, quis ſani ante atque vegeti hominis vitam a cauſſa illa violenta in diſcrimen deductam fuiſſe negabit? Interim haec iudici non ſufficere, inferiore loco pateſcet. Aliter autem iudicandum eſt de corpore demortuo, quandoquidem in cadavere, quae latent, ſenſibus poterunt obiici et ea, quae vere adfecta ſunt per noxam quamcunque, nunc dilucidius

dius cognoſci, ſimul etiam, quae euentum letalem fecerint, ſine tenebris clare animaduerti, nec non difficultas minus felicis curationis intelligi. Quae quidem omnia tum corporis delicti confirmant certitudinem, tum argumenta ſuppeditant, quae auctorem delicti inculpare vel excuſare poſſunt.

§. IV.

Criminis ergo cuiuscunque, aut vere commiſſi, aut inculpati tantum exploratio, quia corporis delicti certitudinem requirit, ita comparata eſſe debet, vt tum facti, tum etiam facti euentuum certitudinem comprehendat. Nos medicam tantum corporis delicti indagandi rationem tradituri, ea, quae in fraudibus, furtis et ſimilibus delictis inſunt, ſi cum aliqua corporis humani laeſione coniuncta non ſunt, ad forum noſtrum non pertinentia, facile praetermittimus, bene rati, iudicum criminalium aſſiduam operam in hiſce enucleandis occupari. Vbi vero corpus, ab aggreſſore male tractatum, vulneratum laceratumque inueniatur, tunc, ſiue exigua, hinc facilius reſtituenda fuerit adflictio, ſiue mortem induxerit, medicam expoſcit diligentem diagnoſin. Illi enim, qui egere poſſe iudicem hac declaratione medica opinantur, quod facti antecedentis ſequela funeſta ipſo hoc momento temporis ſucceſſerit, v. c. ſi ſclopeti globulo cor fuerit percuſſum, non debent non fateri, videri potius ea contigiſſe, quae adſumunt, certitudinem plenam diſquiſitae demum dabunt exuuiae. Requiruntur vero viri fide digni et intelligentes. Quae dum aſſerimus, neutiquam femineo ſexui has dotes abnegare volumus, qui in mulierum affectibus, in quibus obſtetrices haud infre-

quenter ſe ſat ſapere ſibi perſuadent, peritiam ſibi competere opinatur. Attamen, quod feminae omnem huc pertinentem doctrinarum ambitum percurrere nequeunt, et forte minimam tantum eius particulam tenent, in corporis delicti certitudine, non fallente, iudicium ferre aut laeſionis naturam deuelare vix poterunt. Fidem autem habendam eſſe diſquirentibus per ſe patet, quum inſtabile alias teſtimonium eſſet futurum, immo peritiam talem deſiderari, quae capax ſit inſtituendae obſeruationis et penſitandarum omnium conditionum, quae occurrunt, earundemque ad fontem, vude promanarunt, referendarum, itidem nequit dubitari, quod alias, quae opponi aut excipi poſſint, ſemper inueniantur. Volunt vevo ſummi iuſtitiae arbitri et nemeſis Carolina, quod rite a peritis examinati et ſacramento adſtricti ad hoc adhibeantur negotium, nec admittendos eſſe. niſi honores titulumque doctoris, ceu teſtes bene comparatae ſcientiae, habuerint. Hinc, quod de obſtetricibus antea adſeruimns, id de chirurgis, barbitonſoribus aeque ac de pharmacopoeis adſeueramus, licet ZITTMANNVS in *Medic. Forens.* p. 449. teſtimonium chirurgi de letalitate vulneris capitis a facultate medica confirmatum tradat, quod in ſumma demum neceſſitate, ſi medicus peritus haberi non poſſit, vrgente caſu, nec absque omni ambiguitate, ni fallimur, conceditur, Iuramentum porro additur, ne vlla exoriatur ſuſpicio neglectus aut fidei ſubleſtae, quo ſeſe adſtringant phyſici ita, vt idem valeat, quamdiu ſuo praeſunt officio. Qui vero a magiſtratu poſtulantur abſque tali officio, in ſingulo quouis caſu illud repetere debent. Doctorum medicinae noſtrorum, quorum ſacramento, dum ſummos capeſſunt honores, iam ineſt,

ſe in

ſe in vulnerum atque cadauerum inſpectione et in omnibus caſibus, de quibus a magiſtratu poſtulantur, fidem omnem et conſcientiam eſſe adhibituros, exceptio ita quidem comparata eſt, vt iure ſuo vti queant, nouum tamen declinare nequeunt ſacramentum, ſi iudex, cui largiri velint ſuam operam, e re ſua id iudicauerit. In perficiendo deinde negotio ſtudium atque ſingularis adhiberi debet adſiduitas, ſine qua conueniens attentio vix ſperanda eſt, ſtudioſa ſcilicet animaduerſio ad ſingulas conditiones iam applicari debet, ſi laeſus viuus conſideratur. In hoc praecipue phaenomena circa partem laeſam adnotentur, ſimul cum omni decurſu inde pendentis morbi: cunctae deinde actiones corporis examinentur, quatenus nimirum eorum exercitium naturali reſpondeat ſtatui nec ne, quantumque aberrent: porro num mutatio deprehenſa cauſſae laedenti ſit adſcribenda, vtrum iam olim extiterit, aut ab inhaerente aliquo morbo provenerit, aut ab alia accedente occaſione, v. c. ſi exebrietate ſtupor et ſenſuum abolitio adeſt, aliaque. Haec etenim, ſi tandem letalis euaſerit laeſio, multum iuuabunt ad corporis delicti corroborandam certitudinem. Non minori tamen opus eſt ſolertia in perſcrutando cadauere, quod violenta interemit laeſio, cuius indagandi normam deinde vberius trademus, quo manifeſtentur, quae deliteſcunt. Euidentia nimirum poſtulatur in ſingulis conditionibus, per ſenſus perceptis. Quare exulare iubemus a ſcrutatore omnem praeconceptam opinionem, qualem teſtantur quandoque relationes medicorum, quae fidem adhibet vago ſaepe rumori de genere et cauſſa morbi, atque ſi praeoccupato iam animo quaedam momenta ſe inuenire credunt, quae cum illis conueniant re-

lationibus. Naturam ſequi et arripere, eam vero ad ſuam detorquere cogitationem non licet. Optimum ſemper duximus, ſpernere, quae propalantur, quo animus, ab omni praeſumtione liberrimus eo magis accommodate iudicet de iis, quae ſenſus incorruptus ſuppeditat. Hinc tolerandus non eſt quorundam phyſicorum mos, qui coniecturam pro veritate venditant et in homicidio declarando diuerſas accuſant cauſſas, quarum vna vel altera ex viſo reperto poſſit elici. Quemadmodum enim ſuam produnt inconſtantiam, ita nocent corporis delicti certitudini et reo potius patrocinantur, melius ſibi conſulentes, ſi perſpicaciori medicorum collegio commiſſiſſent detegendam veritatem, ne fallax et probabilis concluſio nodos ſtringat magis quam ſoluat. Supra §. II. iam notauimus, laedens inſtrumentum ad vulnus fuiſſe olim applicatum, eiusque conſiderationem non inutilem iudicauimus, ſed inde minime conſequitur, impugnari poſſe euidentem corporis delicti demonſtrationem, etſi illud obtineri nequit. Etenim ad alias potius conditiones in vulnere attendimus, et figura inſtrumenti laedentis in ſpeciali tantum caſu conſideranda erit, vbi ex eius contemplatione non aliud, niſi ea figura inſtructum inſtrumentum vulnus feciſſe, palam fit.

§. V.

Vlterius vero huic inſiſtendum eſt tramiti, vt, dum, quae ad corpus delicti in vniuerſum pertinent, expoſuimus, nunc etiam, quae ab iis deſiderantur, qui in formando explicandoque illo occupantur, perpendamus. Quo copioſiora autem et varia magis ſunt in foro diiudicanda facinora, quo pluribus ex cauſſis eueniunt mortes homi-

hominum, eo magis diuersam diiudicandi rationem esse debere luculenter apparet, singulumque in his iudicium ex variis doctrinae fontibus deriuandum est. Ineptum itaque illud euaderet, nisi in promtu haberet medicus eam rerum cognitionem, quae ad discernendas diuersissimas caussas et effectus pertinent, sic, vt iudici forensi clarius intueri liceat genuinam mali originem. Homicidia tantum, si attendimus, vario peraguntur modo, v. c. per vulnera, gladio solopetoque facta, fune, verberibus, veneno, inedia, aliisque contracta: singulus modus alias in corpore mutationes facit, quas ex propria indole rei nocentis deducere necessum est. In venenis tantum, acidorum, rodentium, arsenicalium, mercurialium, vt alia taceamus, maxima et discrepantia et agendi potentia inuenitur. Hanc omnem bene percontari medicus et phaenomenis, in corpore inueniendis, conformem demonstrare debet, si corpus delicti velit certum reddere. At, quoniam haec phaenomena et effectus ex corpore humano conquiruntur, medici sane cognitionem anatomicam non proletariam aut superficialem, sed accuratam et intimiorem exigimus, quo de iis, quae in variis deprehenduntur partibus ab integritate discrepare, confidentius differere et digito quasi monstrare valeat. In qua profecto si defecerit doctrina, nunquam eam facti et, qui cum eo coniunguntur, effectuum certam et a dubitationibus immunem naturam explanabit, qualem iustitia supponit atque postulat. Hinc prono quoque fluit alueo, sensuum, quibus res percipimus, eum statum esse debere, qui non fallat, id, quod tunc demum contingere scimus, si vel integritati vel attentioni quidquam desit. Ea namque, quae sensibus,

integris comprehenduntur, pro veris habentur, iis vero momentis, quae ſenſuum aſſenſu non comprobantur, in foro fides non additur. Sic ſenſus docet, vulnus inflictum ad cauum ventris penetraſſe, eodemque ſenſu per vlteriorem inquiſitionem maiora vaſa ſanguifera laeſa fuiſſe comperimus et ſanguinem effluxiſſe, vt certiſſima de haemorrhagia letali concluſio fiat. Si vero ex notis euidentibus feminam peperiſſe cognouerit ſcrutator, ventris rugas, vaginae laxitatem, effluentia lochia, mammarum tumorem, lactisque praeſentiam declarauerit, certa, quae ſenſus ſuppeditant, proponit quidem, ſed obſcura et dubia referret, ſi inde nuperrime abiectum, mortuum aut occiſum infantem ad eam puerperam indubie pertinere adſereret. In qua praeſumtione nihil eſt, quod ad ſenſus pertineat, qua vero defendentibus reum anſa praebetur largiſſima, oppugnandi argumenta minus idonea. Praecipua ſenſui viſus demandatur prouincia, quo ſolo ſecantes ſingulas partes perluſtrare, detecta clara reddere debent momenta. Hinc vulgo *viſum repertum* nominant omnia, quae in cadauere a ſtatu naturali aliena occurrunt. Sunt quidem reliquis ſenſibus partes aliquae tribuendae, nam tactus et auditus oſſium fracturas, odoratus putredinem detegit, verumtamen inductarum laeſionum indolem et corruptelae magnitudinem nec horum ſenſuum virtus ſufficienter determinare valet. Quis enim ex partium externarum putredine ad internarum ſimilem habitum absque metu erroris concluderet?

§. VI.

Nullo vero modo inde volumus, vt aliquis, obſeruatis omnibus regulis, arbitretur in corporis delicti demon-

demonſtratione perpetuam eſſe certitudinem, quum non deficiant variae accedentes cauſſae, quae impediant, quo minus plane certum illud euadat. Quae nimirum cauſſae vel ab iis dependent, quibus laeſi corporis inſpectio atque diſquiſitio committitur, vel ab aliis rebus proueniunt. Quam vtramque igitur conditionem rimari adhuc decet. Quum enim absque ſectione cadaueris nec indagetur nec dignoſcatur natura laeſionis, hanc omiſſam ceu primariam cauſſam adſumimus, quae incertitudinem corporis delicti relinquat. Verſantur quidem aliqui in ea opinione, ac ſi opus non ſit anatomica laeſi corporis diſquiſitione, ſi violentiam antegreſſam immediate ſequatur mors, quippe quod ex illa cauſſa letalis effectus oriatur ſic, vt a ſe inuicem ſeiungi nequeant. Sed tuta tamen non eſt conſequentia. Accedunt aliquando ſymptomata, quae ex ſingulari corporis diſpoſitione grauia et funeſta fiunt, quae alias talem effectum non habuiſſent. Vehementia animi pathemata, lipothymiam et ſyncopen excitant, iis maxime moleſtam et forte letalem, qui vitio pectoris laborant, aut polypoſa in corde concretione. Fac, talem hominem a latrone in via inſultum pati, leviter vulnerari aut verberibus tantum adfligi, mox concidere et mori. Num deteſtabilem per ſe latronem iuſto et indubie homicidam nuucupares? qui integra vtentem vita non necaſſet. Iudici profecto plura noſcenda ſunt, quae demum ex ſectione dignoſcuntur. Ad has vero conditiones eruendas et confirmandas, ſi medicus, qualem §. IV. deſcripſimus, non adhibeatur, perinde ambiguum manet corpus delicti, quod ZACCHIAS *Quaeſt. Med. legal. Lib. V. p. 371.* et ZITTMANNVS p. 631. pariter teſtantur. Solus etiam chirurgus aut plures non ſufficiunt,

etſi

etſi nolumus inficiari, inter eos inueniri, qui haud vulgari imbuantur anatomes cognitione, rariora tamen noſtris temporibus et inter noſtros ſunt exempla et vetat Nemeſis Carolina. Vterque vero medicus atque chirurgus, ſi imperitiae ſuae teſtimonium ediderint, pari paſſu ambulant et vim inferunt certitudini facti, quoniam ſe rei veritatem non rite perſpexiſſe merito praeſumuntur. Hinc etiam inſpectio atque deſcriptio pro inſufficiente habetur, ſiue externam tantum corporis ſuperficiem fuerint intuiti, eandemque fugitiuo oculo perluſtrauerint, ſiue de interiore ſcrutinio diſſerant ſic, vt cognitionis defectus manifeſtus euadat, qui neglectum anatomiae cultum grauiter vindicat, qualia exempla plura ZITTMANNVS adducit. Medetur itaque huic malo ſecans medicus, ſi ſtudioſe partes laeſas nominet, quovsque laeſio penetrauerit, quasque attigerit. Accidit autem, vt, ſi vulneratus non protinus pereat, ſequela funeſta in dubium poſſit vocari, num illa a laeſione illa ortum traxerit, num potius medenti culpa ob medicationem minus recte ſuſceptam poſſit imputari. Quantum ad felicem curam conferat adaptatum regimen, idoneorum remediorum vſus, ii teſtantur, qui aegrotos curant. Quare ne excuſationem inueniat reus, in promtu habere debent medentes accuratam morbi hiſtoriam, quae contineat, tum in aegroto animaduerſas conditiones, tum de remediis et eorum effectibus relationem; ſiue enim v. c. medicus ad febrim et inflammationem domandam rite non reſpexerit, ſiue chirurgus feſtucas oſſium fractorum, caluae depreſſionem et inde pendentem cerebri irritationem perpetuam non remouerit, ſiue ipſe aeger ad praeſcriptas leges non attenderit, iiſdemque conformis

non

non vixerit, vt alia taceamus, ex hoc quoque fonte corpus delicti promanabit incertum. Hinc non omnes eae noxae per se letales censendae sunt, quas presso quasi pede mors sequitur, quod supersunt media, quae letum abigunt, et iugulantur haud pauci ex accidentibus et improuisis casibus. Protracta vel omissa magnae arteriae, ad quam aditus patet, deligatio, haemorrhagiam funestam certo producet, si vero, deligato iam vulnere, laesus casu ex altiori loco caput concusserit, aut interiorem aliquam rupturam vasis sanguiferi vel laesionem visceris sibi contraxerit, funestus sane effectus vulnerationi adscribi non potest. Vehementes animi adfectus, veneris abusus, incongrua aegri ex vno in alium locum transportatio, tempestatum iniuriae, in quocunque morbo mutationes peruersas excitant, multo magis, si tales conditiones iunguntur violentiis externis. Titubat inde corporis delicti firmitas, quae pariter fallax redditur, si vivo cuidam accidisse dicuntur, quae mortuo demum euenerant. Probandum est per signa, in cadauere observanda, num vita adfuerit tempore laesionis, Sugillationes in neogenito, pulmonum in aquis natatio, sanguinis per funiculum vmbilicalem profusio, iuncta vasorum vacuitati, tam certa vitae, in partu praesentis, signa sunt, vt dubitationes non relinquant. In aquas demersus si infans inueniatur, dicatur autem in eas delapsus esse et periisse, quod mater, partum expectans, ad eas consederit, fidem non meretur ex indubiis hisce momentis. Pariter, si signa deficiunt rubicundi aut liuidi circa collum circuli, vasorum capitis sanguine distentorum, oculorum inflammatorum, linguae tumidae, sicque suspensus quis inueniatur, qui fune vitam sibimet abstulisse

dicatur, corpus delicti dubium fit, aeque ac, si iisdem notis instructum, inque lectum repositum, repentina apoplexia aliquem sublatum iudices. Itidem vulnera in viuente homine rubicunda, turgida, immo cruenta sunt, in mortuo vulnerato vero haec deficiunt. At, quamuis nunc aliqua momenta adduxerimus, quae de corporis delicti certitudine excitant dubitationem, multis tamen maxima omnium videtur ea esse, quae irritam faciat indagantis operam et in putredine spectatur. Tantus scilicet putredinis gradus, qui non extimam tantum corporis superficiem destruit, sed in viscera etiam interiora grassatur et in amurcam mutat, vtique turbat secantes, quo minus effectus violentiae adhibitae possint discernere. Nam foetore solo vix abigi se patitur anatomicus, neque patitur iustitia, veritatis detegendae arbiter. Hunc omnia spargunt animalium cadauera: sed resolutio solidarum partium, quae carnes in mucosam putrilaginem conuertit, cerebrum pulposum reddit, singulisque visceribus friabilitatem conciliat, tantam inducit corruptelam, quae frustretur attentionem disquirentium. Attamen nec talia cadauera absque consideratione prorsus seponenda sunt, quandoquidem in his ossium fracturae, cranii fissurae, aliaque supersunt, aliquando in delicti dilucidatione, si animaduertuntur, vtilia futura. Ita in recens natis, quae iam in vtero vitam amiserunt, non raro varia putredinis incipientis deteguntur molimina, quale nuperrime demum exemplum vidimus in puerpera, quae gemellos, alterum pene semiputridum, alterum vero vegetum viuumque enitebatur. Nunquam autem tanta est destructio, quo minus in his, si male fuerint tractati, signa violentiae possint detegi. Certe in his,

etiamsi

etiamſi maiorem putredo eſt gradum adſequuta, de vita, extra vterum non acta, reſtat ſignificatio in pulmonibus, in aquam immiſſis ibidemque ſubmergentibus. Quod, quum iam alibi, in *Diſſ. de reſpiratione foetus et neogeniti*, excuſſerimus, nuper denuo confirmatum accepimus, dum iſtius ſemiputridi foetus exploraremus pulmones, absque omni mora mox in aqua ſubſidentes. Eſt ergo in corpore etiam delicti, quod valde perturbari videtur a putredine, ſub iis conditionibus aliqua adhuc certitudinis ſignificatio.

§. VII.

Haec, quae vberius diſputauimus, non ex arbitrio, aut ex adſumta quadam opinione deriuat, ſed ex indiciis ſeu ſignis, quibus tanquam fundamentis veris inſiſtit, depromit medicus. Quoniam vero delictum non ſemper cognitum eſt; in loco enim abſcondito, ab hominum conſpectu remoto, clanculumque perpetrantur facinora, etiam funeſta ex illo aut raro aut minus valide repetuntur ſigna. Itaque effectus in corpore humano ante omnia erunt penſitandi, phaenomena colligenda et contemplanda, deinde demum ad cauſſam redeundum eſt, quo pateat, num ea quoque hiſce producendis par ſit effectibus. Superiore namque loco iam adſeruimus, falli eos, qui ad cauſſam, quam animo fovent, detorquent obſeruata phaenomena. Praeuidemus fore quosdam, qui hanc ſententiam naturae non conuenientem inueniant, quod ſine cauſſa effectus eſſe non poteſt, ſed deſinent mirari, ſi perpendant in foro requiri potius, curatius deductas, ex phaenomenis rationes,

quam de cauſſae virtute ſcholaſticas diſputationes.* Cunctae itaque a natura deflectentes in corpore conditiones, in homine vel viuo vel demortuo deprehendendae, ſigna offerunt, ad corpus delicti conſtituendum pertinentia. Nec morborum ſigna eximimus, quae ſimul ſunt adnotanda, quod propter morbum inhaerentem eiusmodi fieri poteſt diſpoſitio, quae cauſſae violentae effectus variet. Sic ſi herniosus ventre vehementer comprimitur aut conquaſſatur, alios is ac ſanus patitur effectus. Qui aneuriſmate in pectore laborat, a ſola rixa, aut levi lucta, ſi illud rumpitur, extinguitur protinus, quam ſane iniuriam perpeſſus eſſet quiuis alius exiguo cum incommodo. Quare optime monet. HEBENSTREIT *in Anthropolog. forenſ. Sect. I. Membr. II. cap. I.* §. 12. diſtinguenda eſſe quam curioſiſſime ſigna effectuum, cauſſarum, facti atque facientis. Agonizantem qui interimit, non minus homicida eſt ac is, qui ſanum funeſte laeſerit: tunc autem, ſigna effectuum teſtantur, acceleratam mortem non ſponte, ſed propter efficientem cauſſam acceſſiſſe. Sponte tamen hinc fluit, adaequatos eſſe debere effectus illi rei, quae pro cauſſa adſumitur. Si grauidam aliquis ruditer percuſſerit, vt abortum patiatur, effectus eſt illatae iniuriae abortus, ſed, quod iſta femina ex mala peluis conformatione parere nequit, aut quod ſitum foetus peruerſum habet, aut quod mors, enixo vel extracto foetu puerperam ex viuis rapit, non protinus hae ſequelae ab illa antecedente cauſſa deriuandae ſunt. Tales itaque conditiones medicus, corpus delicti ad certitudinem deducturus, perpendens, nunquam praetermittere, bene tamen ſeiungere debet ab iis ſignis, quae ad cauſſam effectusque violentiae ſpectant. De ſi-

gnis

gnis autem praetereuntibus aut euanescentibus, vt puerperii ante longum tempus, aut olim perpessae iniuriae, scilicet fracti ossis, infelicis casus ab alto, quae reorum defensores non nunquam adducunt, nil monemus, quod antea corpus delicti incertum reddi diximus.

§. VIII.

Superest tandem vt de norma indagandi corporis delicti quaedam moneamus. Etiamsi ex variis hucusque traditis momentis colligi possint atque intelligi plurima, non inutilem tamen operam futuram esse coniicimus, si aliqua huc denuo referamus, praesertim, quod in renunciationibus obseruauerimus, secantes, omissione necessariarum conditionum peccantes, occasionem praebuisse disceptationibus de non sufficienter euicto corpore delicti. Quodsi ergo euellere ex animo aliorum nitatur physicus secans omnem suspicionem omissi aut praeteruisi momenti cuiusdam, ad euitandam ambiguitatem, ipse sua doceat demonstratione, se in anatome ita esse versatum, vt naturam penitius noscat, ne forte, quod meminimus legisse, naturales ossium rimas pro fissuris violentis tradat, vti de ossis occipitis neogeniti parte superiore lateralique traditum aliquando accepimus. Deinde ea potissimum loca attente consideret, quae laesa esse deprehendit, in quibus figura, magnitudo et quousque penetrauerit noxa, erit animaduertenda. Quo tutius commodiusque id fiat, sensim vna post alteram pars est semouenda, vsque dum ad extremum laesionis finem deuenerit. Tunc enim dignoscet melius, num adfectae partis laesio vitae struxerit insidias. Hac methodo per-

gendum eſt ad reliquas, ſi forte plures fuerint laeſiones, quo de ſingulis conſtet, quid contulerint ad necem vel ad curandi impoſſibilitatem. Sic etiam, ſi vaſa ſanguiſera diſciſſa reperiuntur, ex horum et cordis vacuitate haemorrhagiam letalem pronunciabit. In caua interiora, vbi penetrauerit vulnus, conuenit ſtudioſam ſuperaddere huius caui deſcriptionem et partium, quas attigit noxa, explicationem, aut quae illaeſae manſerint. Eſt vtique in his momentis magna ad certitudinem efficiendam potentia, vt in his ſubſiſtere poſſit ſcrutator, videlicet, ſi gula cum aſpera arteria et vaſis maioribus inueniatur diſſecta, haemorrhagia letalis debuit exoriri et partium ad vitam ſuſtentandam vſus abſolute intercipi. Verum, ſi enormes adeo inſanabilesque ad ſenſum non extiterint noxae, ſi vel laeſus per aliquot dies adhuc ſuperuixerit, ſi medelae apparuerit probabilitas, aut ſi alia acceſſerit, quae pro ſequela vulnerationis haberi nequit, cauſſa, aut ſi morbi inhaerentis indicia appareant, tunc laeſorum locorum indagatio ſola nunquam ſufficiet, quin potius, quod latens cauſa quidquam ad mortem contulerit, excitabitur ſuſpicio. Hanc non effugiet corpus delicti declaraturus, niſi viſcera omnia, in quemcunque locum repoſita, perluſtrando, eorumque ſtatum integritate ſua frui nec ne, clare atque diſtincte docuerit. Sic enim, quoniam omnia, quae apparent in corpore, phaenomena collecta proponuntur, facti cuiusdam certitudo euentusque euidentia monſtratur, atque corpus delicti definitur, cui firma et indubitata deinde concluſio innitatur.

§. IX.

§. IX.

Speciales nunc haec, quae pro ingenii modulo propoſuimus, expoſcerent effectuum ſingularium diſquiſitiones, qui dependent a diuerſitate cauſſarum, quibus vita hominis periclitatur. Aliam enim aliamque naturam habent varii generis vulnera, contuſiones, fuſtigationes, ſuffocationes, aliaque, inter haec potiſſimum veneficia. Sed in his diiudicandis longiores nunc eſſe nolumus, quod haud pauca, huc referenda, momenta ex nunc adductis, quae fundamenta generalia continent, poterunt explanari, et quod anguſtia temporis in iis abvnde verſari vetat, vt illa, quae diuerſitates conſtituunt, ad aliam occaſionem reſeruare cogamur.